

7  
quod vel è medicæ disciplinae Oceano hauries Gale-  
no c. 8. l. 1. d. us. part. Id pisces opidò, & totus ille cru-  
stosus astacorum, cammarorum, cancrorum, tetti-  
gum, scillarum, pagurorum, & maearum census e-  
docet.

Quapropter pulmones ut citra tracheam parùm  
profuissent, ita & arteria aspera absque larynge, cum  
voci formandæ longula & stricta quadam quasi fi-  
stula opus sit. Cui bono Laryngem adeò affabrè  
variis è partibus compaginari mirabilis Naturæ  
*ἀπαυδέουσι ἢ ὀν μαθούσης* (ò aurea tripodis Epidemici ora-  
cula!) industria voluit tam communibus quàm pro-  
priis; vasis puta triplicibus, ac musculis insuper,  
membranis, & cartilaginibus.

Ac VASA sanè, pro sua alimonia *venas* quidem  
ut canales ab hepate obtinuit per utramq; jugularem  
à dextra sinistraque accurrentes: pro vita *arterias* ope  
carotidum adproperantes. Quos autem pro sensu  
accepit, *nervi* plurimum admirationis compagi gut-  
turali addunt; à sexta syzygia cerebri tota ejus lon-  
gitudine decurrentes, varios interim ramos disper-  
gentes, indè sub thorace se immergunt bifurcati poste-  
riùs juxta vertebrae, undè costalis postea ramus est:  
anteriori verò iterum in ramum & stomachicum, & alte-  
rum, qui laryngi se mancipat, dividuntur.

Dexter sanè circa axillarem arteriam intorquetur,  
ad coeliacamque incurvatur ubi & illa, indeque ele-  
gantissimè sursum reflectitur, musculisque inseritur.  
Tamque stupendum naturæ machinamentum ipsi  
*παλιδρομῆντες* sunt, quibus incisus animal aut *ἡμίφωρον* aut  
*ἄφωρον* evadit.

Quem

I.  
Similares

I.  
Vasa.